

2. K.
435.18

Q. F. Q. S.

HISTORIAE LITTERARIAE
EX NUMMIS ILLUSTRATAE
SPECIMEN,
QVO

II m
787

AD AVDIENDAM D. I. MAI. A. MDCC XXI.
ORATIONEM SOLEMNEM

SYMBOLVM
VIRI ILLUSTRIS MAGNIFICI
AC CONSULTISSIMI
DOMINI

DANIELIS MULLERI
REIP. LVBEC. CONSVLIS
IMMORTALITER MERITI:
IN DOMINI METV



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

EXPLICANTEM
LITTERARVM PATRONOS AC FAVTORES
INVITAT
IO. HENR. VON SEELEN
RECT. LVBEC.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



1772
HISTORIAE LITTERARIAE
EX NUMERIS REPERTARIIS
SPECIMEN

AD AVDIENDAM D. I. MAI. A. MDCC. LXXII.
ORATIONEM SOLEMNEM
SYMBOLOVM
VIRI ILLVSTRIS MAGNIFICI
AC CONSVLTISSIMI
DOMINI
DANIELIS MALLERI
REI PVBLICAE CONSVLIS
HONORATISSIMI MERITI
IN DOMINI MATV

WILHELMUS
MALLERIUS

EXPLICIT
LITTERARVM PATRONVS AC FAVORVS
IO. HENR. VON SEELLEN
RECT. PVBLIC.





* * *
* * *
* * *

Liaida canere studerem post Homerum, si de summa Nummorum in omni eruditionis genere vtilitate prolixo vellem differere. Dudum enim maximi viri hoc labore laudatissime sunt defuncti. Eminet inter illos illustris Ezechiel Spanhemius, vel ob solum de Praestantia et Vsu Numismatum librum immortalis. Quem et alios rei nummariae scriptores celeberr. Fabricius in Bibliogr. Antiquar. Bandurius in Bibliothec. Nummar. et laudatus Fabricius in Nott. ad hanc Bibliothec. merito commendarunt. Licet vero vniuersalem numismatum vtilitatem afferentibus facile suffragor, iis tamen calculum denegare non possum, qui in studio Historico praecipuum esse nummorum vsum contendunt. Ciuilem historiam re nummaria peregre iuuari, ille modo negabit, cui Spanhemii, Patini, Golzii, Mellii, Begeri, Norisii, Blancii, Bizotii et reliqui rei nummariae, ac simul historicae, statores sunt ignoti. Vsum vero rei nummariae in Historia Ecclesiastica, praeter alios, maxime reu. V. E. Loeschnerus tribus Dissertationibus elegantissimis demonstrauit. In Controuersis etiam Theologicis nummorum vsum posset facile ostendi. Vnico rem exemplo declarabo. Notae sunt lites, quas *Petrus Jurieu*, Reform. Prof. Theol. primum Salmuriensis, deinceps, post sublatam Academiam, & discessum ex Gallia, Rotterodamensis, libro: *L'Accomplissement des Propheties*, mouit. Vehementer enim irritauit Pontificios, dum ipsorum ecclesiae interitum ominatus est, et Gallorum, sic dictos Huguenottas persequentium, feruorem improbauit plane damnauitque. Occasionem haec res praebuit duobus haud exiguis nummis procudendis. Prior, quem optimi ipsius amici signandum curarunt, in prima parte ostendit vultum, habitum sacerdotali ornatu, circa quem scripta sunt haec verba: *Petrus Jurieu S.S. Theol. P. P. aetat. L;* infra autem: *Spe fati melioris alor.* In

):(2

al-

altera parte cernitur spissus vapor, igne intermixtus, cum multis locustis erumpens (Apoc. IX), pone quem Templum, & iuxta illud Luna, exaduersum autem Sol apparet, qui per ascendentem vaporem impeditur, quominus opacam Lunam possit illustrare. Circum hanc figuram leguntur verba: *Brevi lucidior fulgebit*; infra autem: *Etiam venio cito, amen, veni Domine Iesu*. 1687. Male habebat, praeter scripta Iuriaei, hic etiam nummus tum alios, sacris Romanis addictos, tum praecipue Comitem d' Avaux Regis Galliae Legatum isto tempore Hagae commorantem. Ille enim, ut Iuriaei propheticae cogitationes riderentur, neque is ardorem suum impune ferret, cudi iubebat nummum, cuius facies anterior eundem Iuriaei vultum exhibet, & circa eum verba: *Petrus Jurieu P. P. R. et Proph. Rott. id est: Petrus Jurieu Professor Praetensorum Reformatorum et Propheta Rotterodamensis*; sub imagine מיניסטאר ירוש, *Minister Irius*. Aversa autem facies sistit Bestiam cum 7. capitibus et 10. cornibus e mari surgentem, addita ex Apoc. XIII. inscriptione: *Datum est ei os loquens magna et blasphemias*. Infra legitur: *Quis similis Bestiae?* 666. 1687. Quae verba ex Iuriaei facere debent bestiam, quia numerus 666. in litteris Hebraicis, imagini ipsius subiectis, repertus creditur. Vterque hic nummus a Bizoti, mox citandi, Continuatore pag. 360. repraesentatur. In Historia, speciatim sic dicta, Litteraria non minorem nummi praestant vtilitatem. Tantus enim est numerus eruditorum, quorum memoriae ex Nummis possunt illustrari amplificarique, ut si omnes colligerentur, nummorum icones exhiberentur, et observationes adicerentur, adornari posset opus et splendore non vulgari et vsu plane eximio sese commendans. Molitus est eiusmodi opus Numismatico-Litterarium Godofredus Tilgnerus, quod docet Epistola istud delineans Miscellan. Lipsiens. Tom. I. p. 340 -- 366 inserta. Sed, quod dolendum, conatus ipsius mors infelix interrupit. Optarem vero vehementer, ut alius, cui Nummophilacia, eiusmodi cimeliis instructa, patent, Historiam Eruditorum ex Nummis conscriberet, et hac ratione totius reipublicae litterariae ornamentum plane singulare conciliaret. Imagines forsitan eruditorum ne sic quidem haberemus omnino accuratas, quoniam, iudice Henrico Meibomio, viro incomparabili, in Additament. ad V. H. Vogleri Introduct. in Notit. Scriptor. p. m. 171. sq., in uniuersum nulla imago veritatis assequi potest decus, ideoque contenti esse cogimur, si aliqua similitudo intercedat; multa tamen nobis in-

innotescerent singularia, fide digna, a biographis non semper obseruata. Quod vt probem, commodam, quam nunc mihi oblatam video, occasionem non praetermittendam esse arbitror, quamuis vnus modo nummi icon fisti queat. Arctis quoque limitibus circumscriptus tantum non assero, quantum possem in medium producere, contentus tamen, quod pauca exempla dictis meis sufficientem possint fidem conciliare. Selegi autem hac vice, qua scribendi ansam dedit Politicus maxima etiam litterarum cognitione illustri, Politicos eruditos, habita et veteris et recentioris et recentissimae historiae litterariae ratione, ordine etiam litterarum, et simul temporis, obseruato.

ARISTOTELES.

Summus hic aevi antiquioris Politicus et inclytissimus Magni iffius Alexandri praeceptor non solum civilis doctrinae praecepta dedit, verum etiam ad res ciuiles agendas aptissimum se esse demonstrauit. Prius fecit in Politicorum libris, hodie etiam haud omnino spernendis, quamuis non omnia Aristotelica dogmata ad hodiernas respublicas applicari possint. Posterius ostendit, dum Stagirae, vrbi patriae, non solum Laërtio teste, leges tulit, verum eam quoque funditus euersam feliciter restaurauit. Laudatur idcirco ab Aeliano Var. Histor. L. III. cap. 17, cuius inscriptio est: *Οτι η φιλοσοφία ουκ ἀπολίτευτος, καὶ τίνες τῶν φιλοσόφων ἱπολιτεύσαντο* i. e. quod Philosophia ab administranda republica non sit aliena, et quod ex Philosophis quidam rempublicam gubernarint. Ipsa Aeliani verba, quae leguntur p. m. 188. sunt: *Αριστέλης τὴν αὐτῆ πατρίδα οὐ, τὸ λεγόμενον δὴ τῆτο, εἰς γόνυ πεσῶσαν, ἀλλ' ἐπὶ τόμα, ἀνέστησεν αὐθις*. i. e. ex interpretatione Vultei: *Aristoteles patriam suam non in genua (quod dicitur) procumbentem, sed in os prostratam erexit atque restituit.* Alios idem affirmantes Kühnius in Nott. p. m. 193. sq. produxit. Atque in tanti Politici honorem Stagiritae non solum, Ammonio teste, festum anniuersarium, ΕΟΡΤΗΝ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΙΑΝ, instituerunt, imo, si recentioribus quibusdam scriptoribus fides habenda, Aram quoque exstruxerunt, verum etiam nummus aureus fuit cufus. Illum quidem, quem Hieronymus quoque commemorat, in cuius vna parte Aristotelis imago, in altera hoc elogium: NATVRAE MIRACVLVM, tanquam adulterinum, Andreas Schottus in Compar. Arist. et Demosth. pag. 154. reiecit. Innotuit tamen alius, pro genuino habitus, in



cuius parte aduersa legitur: ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΤΟΥ ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ; in auersa conspicitur *Imago stans manibus expansis*. Docet hic nummus differentiam inter nostrum Aristotelem, Nicomachi, Amyntae Regis Medici, filium, et Aristoteles alios, de quibus, praeter Fabricium in Biblioth. Graec., legendus Io. Ionsius L. I. de Script. Hist. Philos. c. 12, vbi XXII. Aristoteles numerantur. Per Imaginem stantem manibus expansis intelligi *Pietatem in patriam arbitratur* V. C. Cornel. Dieter. Kochius de Aristotele in Nummo Aureo, Helmst. 1703. 4., qui in hoc scripto fusius citatum nummum explicat, et non male conicit, Stagiritas in memoriam grati erga ciuem optime de se meritum animi hunc nummum cudi iussisse.

HVGO GROTIVS.

Cum Aristotele aequissimus ipseus aestimator, Grotius, apte coniungitur. Sic enim scribit summus hic politicus in Prolegomen. in aureo de Iure Belli ac Pacis libros p. m. 9: *Inter philosophos merito principem obtinet locum Aristoteles, siue tractandi ordinem, siue distinguendi acumen, siue rationum pondera consideres. Vtinam tantum principatus ille ab aliquot hinc saeculis non in tyrannidem abiisset, ita ut veritas, cui Aristoteles fidelem nauauit operam, nulla iam re magis opprimatur, quam Aristotelis nomine.* Sed neque de Aristotelis, neque de Grotii stupidarum reum ciuiliu cognitione opus est multa afferre, cum notissimum sit, quod Aristoteles inter antiquos, Grotius inter recentiores Politicos tantum emineat, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Dignus igitur erat Grotius, qui nummis etiam honoraretur. Duo in memoriam ejus facti, pretii haut exigui, vnu magnitudine thalerum aequans, alter excedens, conspiciendi dantur a Petro Bizoto in splendido opere: *Medalische Historie der Republyk van Holland, Amstelod. 1690. 4. pag. 172.* Vterque post mortem Grotii, in reditu ex Suecia Rostochii defuncti, in Belgio cusus est. Prior in vna parte habet faciem Grotii, more antiquo Romano, nudo capite, addito nomine: HVGO GROTIVS. In altera vero Cistam (qua inclusus ex arce Loevestein aufugit,) super quam duae Coronae Regiae (indicantes haud dubie Galliam & Sueciam, quia illa fugientem recepit: haec autem eo Legato vsus est) apparent. Ex Cista radii emicant: supra vero Nubes iacet. Ex vno Cistae latere procul conspicitur Sol oriens: ex altero Arx Loevestein. Inscriptio est: MELIOR POST ASPERA FATA RESVRGO. Subscriptio annum natalem et emortualem indicat: N. 1583. O. 1645. Alter num-

nummus in parte aduersa fimili ratione sistit Grotii vultum, & circa eum haec verba: *Hugo Grotius natus MDLXXXIII. 10. April. obiit MDCXLV. 28. Augus.* In parte auersa conspicitur Corona Laureae, hoc Grotii elogium complexa:

De Fenix van het Vaderlandt,
 Het Delfs Orakel, 't groot Verstandt,
 Het Licht, dat d' Aarde alom bescheen,
 De Groot, vertoont zich hier in't kleen.

In quibus versibus vnusquisque facile elegantiam deprehendet et acumen, tum ob ingeniosam conclusionem, tum ob elogium, quo Grotius, Delphis Batauorum oriundus, oraculum Delphicum salutatur.

IOANNES HEVELIUS.

Consul senior in Vrbe Gedanensi palaeopolitana longe clarissimus, membrum Regiae Societatis Anglicanae, decus et ornamentum patriae, imo literati orbis, motuum coelestium persecutor excellentissimus vocatur ab Andr. Charitio in Commentat. de Viris Erudit. Gedani ortis pag. 85. Idem de eius vita, scriptis et meritis l. c. p. 85. -- 92. diligenter est commentatus. Nummum vero, ex auro pariter ac argento in memoriam eius factum, non commemorauit. Exhibet ille in una parte venerandam Consulis faciem: in altera haec verba: IOHANNES. HEVELIUS. DANTISCANVS. CONSVL. VET. CIVIT. DELLCIVM. REGVM. AC. PRINCIPVM. ASTRONOMORVM. IPSE. PRINCEPS. IN. GLORIAM. ATQVE. ADMIRATIONEM. SAECVLI. PATRIAE. ORBIS. ANNO. M. DC. XI. DIE. XXVIII. IANVARIJ. NATVS. REM. CONSILII. PVBLICAM. IVVIT. LITERARIAM. AVXIT. MERITIS. IN. VTRAMQVE. ILLVSTRIS. SPLENDOREM. NOMINIS. AETERNITATI. INSERVIT. IPSO. NATALI. DIE. ANNO. M. DC. LXXXVII. DENATIVS. Ad illustrationem huius nummi pauca adiciam. *Delicium Regum ac Principum merito appellatur. Nam, vt reliquas taceam, IOANNES SOBIESKIUS, Poloniae Rex, in deliciis eum habuit, et saepius inuisit. Cum prima vice apparatus ipsius rerum mathematicarum perlustrasset, tactis eius humeris: O egregium virum! exclamavit. Noster grati et deuoti animi Regi huic declarandi ergo clypeum eius inter sidera retulit. Vid. ipsius scriptum, cui titulus: Scutum Crucis Regium Sobiescianum, astris insertum, 1684. 1690. f. Afiro-*

Astronomorum princeps dicitur, quoniam, praeter alias Matheseos partes, in primis Astronomiam multis doctissimis scriptis, a Charitio diligenter recensitis, illustrare et amplificare laboravit. C. S. Schurzfleischius T. I. Epist. 227. p. 381. *aeui nostri Ptolemaeum* illum nuncupare non dubitat.

DANIEL MULLERVS.

Magnificum hunc Consulem Lubecensem, meritis immortalibus illustrem (quem diuina seruet, & diu seruet, benignitas!) vasta & juris & rerum ciuiliu[m] cognitio maximis aeui nostri Politicis adscribit. Quamobrem merito illum quoque honorat nummus, in fronte huius scripti conspicuus. Cernitur in eo venerabilis Consulul facies: docetur annus, quo fasces Consulares suscepit: appaerent insignia: adest denique ipsius Symbolum: IN DOMINI METV. Atque huius Symboli, quod vberius exponi omnino meretur, explicatione vires suas tentabit iuuenis laudatissimus, BERNHARDVS MÖLLMANN, Flensburgensis, qui haud ita pridem pro rostris scholasticis egregie stetit. Nouum ejus pro spectatissima concione dicendi conatum vt MAGNIFICI DNN. CONSVLES, Patriae Patres optimi, perillustres DN. PRAEPOSITVS, generosiss. DN. DECANVS, summe reu. atque excellentiss. DN. SVPERINTENDENS, nobiliss. consultiss. et experientiss. DNN. SYNDICVS ac DOCTORES, admodum reu. et praeclariss. DNN. SENIOR, PASTORES atque SYMMYSTAE, nobiliss. generos. prudentiss. et ampliss. DNN. SENATORES, PROTONOTARIVS ac SECRETARII, omnesque ingenuarum artium cultores atque fautores, perhonorifica sua praesentia castino die velint promouere, amore, quo optima[e] spei iuuenem complector, adductus, rogo contendoque. P. P. Lubecae d. XXX. April.

MDCCLXXI.



II m
787

Q. F. F. Q. S.

AE LITTERARIAE
IS ILLUSTRATAE

ECIMEN,
QVO

M. D. I. MAI. A. MDCXXI
NEM SOLEMNEM

MBOLVM

STRIS MAGNIFICI
NSVLTISSIMI

DOMINI

IS MULLERI

BEC. CONSVLIS

TALITER MERITI:


MINI METV



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

PLICANTEM
ATRONOS AC FAVTORES
INVITAT
R. VON SEELEN
ECT. LVBEC.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)



Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Farbkarte #13

B.I.G.